



utroque revelationis fonte invenitur ». Nam, quomodo haec *certitudo* statuenda est? 8. Ad cap. 5, par. 25 (pag. 19), quaeritur utrum aliqua ratio habeatur cur, relate ad Vulgatam versionem, non repetantur verba Concilii Tridentini (Decr. de Canonicis Scripturis): « Si quis autem libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Ecclesia catholica legi consueverunt et in veteri vulgata latina editione habentur, pro sacris et canonicis non susceperit etc. ».

## 15

EXC.MUS P. D. CAROLUS WOJTYLA  
*Episcopus tit. Ombitanus, vic. cap. Cracoviensis*

*Patres venerabiles,*

Vellem paucissima dicere de ipso titulo et praesertim de verbo « fons », in plurali « fontes », <sup>1</sup> sub aspectu semantico.

Fontem dicimus sensu proprio ipsam originem aquae potabilis et tandem secundo et sensu improprio etiam illam cisternam vel puteum, ex quo aqua hauriri potest. Cum ergo verbum « fons » in nostra quaestione modo analogico — secundum analogiam nempe attributionis — utitur, tunc illa quae in schemate et praesertim in titulo *I capituli* <sup>2</sup> dicuntur « fontes », fontes sensu proprio non sunt.

Origo enim revelationis non est in Traditione vel Scriptura, sed solummodo in Deo loquente. Tunc Traditio et Scriptura, quae saltem sensu improprio et secundo constituunt fontes revelationis, melius « fontes » non sunt dicendae. Notio « fontis » accipiatur pro sensu suo proprio et primario, pro sensu autem secundo et improprio arceatur, ne confundantur media, quibus revelatio nobis subministratur, cum ipsa eius origine.

Si ergo schema recognosceretur, tunc mea humili sententia oportet a) mutare titulum, et b) cum titulo etiam mutare indolem, ne illa confusio semantica, quam verbum « fons revelationis » inducit, in schemate amplius remaneat. Dixi.

---

*In textu scripto tradito:* <sup>1</sup> deest. <sup>2</sup> eius.